

Diels primus vidit, Byzantinum integrum librum IV a de Nilo scriptum legisse. qua de causa huius excerpta ad calcem libri addidi.

His antiquitatis testibus recentiores accedunt velut Vincentius Bellovacensis et Albertus Magnus, qui medio fere saec. XIII Nat. Quaestiones excerpterunt (Stud. I 89). haec testimonia et ampla et sincera magni aestimabant, qui melioribus codicibus carebant, Haase Larisch G. Müller alii: nunc postquam codices integri si non ipsi ab illis exhausti tamen eiusdem notae (Stud. I 49 sq. 70 sq.) non pauci nobis innotuerunt, missa facimus. unam commemoraverim notitiam mediæ aevi ineuntis, quam curae Ottonis Rossbach debeo, Annalium Coloniensium max. ad I 2, 1 exscriptam.

IV. De archetypo familiis stirpibus codicum

Unus tantum Naturalium Quaestionum liber manuscriptus seorsim a ceteris Senecae libris traditus isque iam truncatus compagibus solutis et discissis aetatem tulit (Stud. I 86 sqq. II 5). eo enim tempore, quo primum descriptus est, finis libri IV a et initium libri IV b nescio an quaternionem amplexa interciderant, postea plura defecerunt foliis illis amissis vicina. litterae huius exemplaris satis vetusti et detriti a scribis aetatis Carolingicae aegre dispiciebantur, aegrius a recentioribus. neque igitur saepius quam bis describebatur, mox istud in dies magis truncatum et foedatum periit.

Unum huius operis exemplar medio fere saec. IX vel exeunte Constantiae fuisse e catalogo pervetusto (p. 15 Bekk.) divinavi, quem in monasterio St. Galli perscriptum esse et H. Blass (Fleckeis. ann. suppl. vol. VIII p. 166) et ego negavimus. ibi enim legitur *Seneca naturalium questionum I* (id est *volumen unum*): ab eo igitur tota fortasse memoria nostra pendet. sine dubio potuit hoc corpus heredibus non relictis perire, potest ad alium codicem alibi servatum sed nobis ignotum memoria nostra recedere. neque ubi codex archetypus exaratus sit, utrum ex Italia ad